



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Tabernacvlvm Pro faciendis Processionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Decebit autem, vt lampas è regione non à latere præluceat.

Antiquæ custodię in pariete Sanctissimi Sacramenti penitus amoueantur; vel signo omnino deleto, in alios vsus adhibeantur, vt Reliquiarum, aut Olei infirmorum, ad præscriptam formam aptata.

TABERNACVLVM PRO faciendis Processionibus.

CLARO vitro vndiq; circumdatū sit. Lunulam habeat, in qua Sanctissima Eucharistia inseritur, huiusmodi, vt possit commodè aperiri, & fragmenta colligi, si qua fortè ibi relicta sint: Ipsa autē Lunula, & Basis, & Scutulus saltem ex argento confect.

Ponatur verò in ipsa itidem Cathedralis Ecclesię Sacristia Lunulæ huius materialis forma.

P I X I S.

A Tabernaculo suprascripto disuncta sit, & ad formam conflata, ex argenteo inaurata; quæ forma itidem ponatur in eadem Cathedralis Ecclesię Sacristia.

Duas Pixides vnaqueq; Parochialis Ecclesiæ saltem habet, alteram maioris formæ pro communione generali, alteram minoris pro Sanctissimo Sacramente ad infirmos deferendo.

Pro qua Pixide ad infirmos ipsos deferenda, Bursa à Parocho vnoquoq; per Diocesim habeatur ornata, cum opus fuerit, adhibenda.

R E L I Q V I A R V M.

Reliquiæ in honore conseruetur in Reliquiario pro Ecclesiarum facultatibus, & dignitate constructo, ad formam Generalibus instructionibus demonstratam.

SANCTISS. CRVCIFIXI imago.

Ecclēsia nulla sit, quæ Sanctiss. Crucifixi imaginem sculptam non habeat, loco conspicuo inter Altare maius & populum; sed eò ornatiorem, quò Ecclesiā ipsa erit insignior.

CONFESSIO N A L E

Parochialis vnaqueq; Ecclesiā, itē singula Parochiali annexa, in qua audiendi confessiones soleant, Confessionale vnum saltē habeat; duo verò, quæ ultra quadringentas animas curat.

Ecclesiæ verò etiam non Parochiales, tam seculares, quàm Regulares, quæ plures Confessarios habere consueverunt, tot Confessionalia habeant, quot Confessarios.

Confessionalis ipsius perfecta forma in Cathedrali Ecclesiā poterit cognosci; ad quam vniuersusque suum redigat, in Vrbe trium mensium ad summū spatium, in Diocesi verò sex; qui terminus possit à Reuerendis Archiepiscopo protrahi ad tres menses in pauperibus Diocesis Ecclesijs.

In ipso Confessionali affixa itidem sit Bulla in Coena Domini, vel eius transcriptus; Notula casuum reseruatorum Reuerendis Archiepiscopo; Forma absolutiois; & Orationes quædam piæ ad id impressæ; quæ omnia in ipsdem Cathedrali Ecclesiæ Confessionalibus conspiciantur.

Eo termino transacto, qui mulierum confessiones in Ecclesiā audierit, etiam si Regularis sit, non constituitur ad eam formam Confessionalibus, vel saltē non habentibus, quæ in eis potissima sunt, vt asseres, & laminam, Confessarium à femina honestè ac tuto iudicio Reuerendis Archiepiscopi diuidentes; à Confessarij munere ipso facto suspensus sit, quoadusque Reuerendis Archiepiscopo videbitur.

Idem sancitur, si quis in his Confessionalibus mulieres audiendo, eas genuflexas habuerit è conspectu sedis suæ, non loco à latere penitenti constituto.

Confessionale autem ipsū loco aperto atque conspicuo sit in omnium oculis collocatum, vt & Confessarius, & cōstitens possit ab vnoquoq; facile cōspici.

V A S P R O A Q V A

Benedicta.

In Ecclesiā sit, non extra.

In ingressu Ecclesię, & ad Portam vnamquamq; à dextris, non à sinistris introeuntium.

Mat-